



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Hafniae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



DANICA.

INSCRIPTIO SALINI INAURATI
 QUOD D. HENR. RANZOVIVS. CHRISTIANO IV. Regi ex baptismo uná cum aliis á se suscepto honorarii loco dedit.

DEUS trinus & unus largiatur huic regio nato, abavi sui Christiani felicitatem & fortunam: proavi Friderici I. mansuetudinem & benevolentiam: avi Christiani III. pietatem & clementiam: Friderici IV. patris sui magnanimitatem & prudentiam: ac horum regum omnium majorum suorum contra hostes suos gloriosas victorias. Hæ enim virtutes ex tot Regibus & paterno sanguine in illum defluerent: talesq; decent tot regum prolem.



HAFNIAE.

IN SUMMO TEMPLO.

Melchior hic Ranzo situs est clarissimus, atq;
 Nobilibus veteri stemmate natus avis.
 Qui virtute sua, multis & dotibus, ample
 Inclyta Ranzoa gloria gentis erat.
 Quem dolet in media sublatum aetate virili
 Cimbria, præstantem magnificumq; virum.
 Illius in duris industria cognita rebus,
 Danorum & regi saepe probata fuit.
 Corporeisq; bonis, nunquam vitæ ve pepercit.
 Pro domini salva posteritate sui.
 Impiger, assiduus, celer, imperterritus, acer
 Præfectus pacis militiaq; fuit.

Eloquio gnarus, magna cum laude, deserto
 Mentis abundanter promere sensa sua.
 Quantum & prastiterit, cum res poscebat, in armis,
 Pallida testatum reddere Trava potest.
 Invida cur Lachesis non hunc es vivere tantum
 Passa diu meritum stamina longa virum?
 Rumpere sed merita nequeas cum stamina famas;
 Post cineres viget hac, vivaq, semper erit.

D. O. M. S.

Dn. Jacobo Bordingo Antverpiano, viro in omni Philologia & Philosophia bene & eleganter versato: & propterea Sadoleti quoq; aliorumq; exterorum doctiss. monumentis publicè celebrato, primùm patriæ, dein Duce Megapp & sereniss. Daniæ Regg Christiani III. & Frederici II. Archiatro: Academiæ Rostochianæ & Hafniensis ornamento: ob veræ pietatis, eruditionis, sapientiæ, & omnium virtutum laudem, memoriã perennem iam pridem adepto: grati hoc animi memoraculum, patri opt. sibiq; & omnibus bonis desideratiss. in beatæ reparationis spem, Jacobus Bordingus F. J. U. Doctor, Professor & Cancellarius Megapol. P. C.

Piè obiit Hafniæ, an. Christi c 10 10 LX.
 Septemb. v. hora IV. vesp. an. æt. L.

In choro humi in lapide.

Petrus Palladius Ripensis, sacræ Theologiæ Doctor, Academiæ Hafniensis Professor, & Sialandicarum Ecclesiarum Superintendens vigilantissimus, vir pietate, eruditione, comitate, & vera virtute ornatissimus, in invocatione filii Dei obdormivit tertio die Januarii, An. Dom. 1560. ætatis suæ 57.

ROSCHIL